

Et uarent circa has Propositiones, homo est Deus, & Deus est homo: dum 1. quidam asserunt esse Prædicationes regulares: 2. alii univocas aut Essentiales. 3. Accidentales. 4. plerique Identicas, mutatâ propriâ & nativâ significatione Terminorū. 5. Alij figuratas & tropicas fingunt. 6. Alij synechdochicas esse cōtendunt. 7. Quidam κατ' ἄλλο eas accipiendas putant. 8. Et tandem dicunt Deum esse hominem, secundum Humanitatem: & hominem esse Deum, secundum Divinitatem. At qui est Deus secundum Divinitatem, est Deus essentialiter, & sic homo esset Deus essentialiter, & per Consequens de Essentiâ Dei, quod est ἀθεόλογον. Non igitur falsa sed verissima est accusatio, quòd Calviniani negent, Deum esse hominem & hominem Deum, servatâ scilicet propriâ Terminorum significatione, absq; Allocosi. Et tantum de X I. Articulo.

A R T I C U L U S X I I.

I. Quòd (*Calviniani*) homini Christo divina Idiomata & sic Deitatem detrahant.

II. **A**Rticulus iste 12. Calvinianis objectus, ordine satis convenienti sequitur proximè præcedentem. Nam negatâ Naturarum κοινωνίᾳ non potest non etiam negari κοινωνία ἰδιωμάτων: Ultraque sublatâ, tollitur ipsa Deitas, quòd ea assumptæ carni non sit realiter unita. Nam ubi nulla Communio, ibi nulla quoque vera Unio. Agendum igitur nobis erit de Communicatione Idiomatum, quæ ex Unione hypostaticâ duarum in Christo Naturarum, tanquam Effectum à suâ Causâ, sive immediatum Consequens ordine Naturæ oritur & fit non separatim sive seorsim in hac vel illâ Naturâ, multò minùs extra Unionem, sed in ipsâ tantum personâ, atque sic in Concreto propter Unionem hypostaticam.

Coeterum respicit Articulus 1. non Communicationem si-
ve ap-